

S. JOANNIS CHRYSOSTOMI
DE INANI GLORIA ET DE
EDUCANDIS LIBERIS



EDIDIT
FRANCISCUS SCHULTE

PROGR. GAESDONCK. No. 627



MONASTERII QUESTFALORUM 1914
EX OFFICINA SOCIETATIS TYPOGRAPHIAE QUESTFALORUM.

Landes- u. Stadt-
Bibliothek
Düsseldorf

98a
1
(1914)

627-

HT009928101



I. S. Joannis Chrysostomi librum, quem de inani gloria et de liberis educandis scripsit, editurus cum essem, maxime dedi operam, ut qui illius libelli exstarent libri mss. cognoscerem. Quod ut assequer, catalogos earum bibliothecarum, in quibus libri s. Joannis Chrysostomi asservantur mss., quantum fieri potuit, perquisivi eosque, quos ipse inspicere non potui, per amicos quosdam, quibus maximam debeo gratiam, curavi perquirendos neque tamen in tanto Chrysostomi librorum numero ullum deprehendi, qui hunc libellum contineret uno Parisino excepto, de quo infra dicam. Atque etiam Chrysostomus Baur O. S. B. qui plurimas bibliothecas, ut libros Chrysostomi et manuscriptos et typis impressos colligeret, perlustravit et egregium iam de his librum composuit,¹⁾ benevole per litteras me certiore fecit se scire nullum. Haidacher vero, qui hunc de liberis educandis librum in vernaculam linguam vertit, promisit ille quidem ex libris mss., qui sibi praesto essent futuri, se hunc librum editurum esse;²⁾ nec vero doctissimum illum virum in eam rem inquisivisse equidem mihi persuasi, cum ipse Salisburgi investigarem, numquid de hoc libro in chartis eius relictis inveniretur. Neque enim quidquam deprehendi atque etiam Chrysost. Baur, ad quem chartae illius relictæ perverunt, quidquam in iis esse negat. Tota autem illius versio Germanica ex Combefisio³⁾ pendere apparet, id quod nequaquam ita esset, si ullus liber ms. ad eius cognitionem venisset; ac ne eo quidem loco ullius libri ms. mentionem facit, ubi hunc librum a Chrysostomo compositum esse demonstrare studet nisi Parisini illius. Fabricius autem, ubi in bibliotheca Graeca de

¹⁾ Baur, S. Jean Chrysostome et ses œuvres dans l'histoire litt., Louvain 1907; p. 28.

²⁾ Haidacher, Des hl. Johannes Chrys. Büchlein über Hoffart und Kindererziehung, Freiburg 1907, p. V.

³⁾ vide infra p. III.

hoc libro verba facit,⁴⁾ affert Marcianum 119, Parisinos 775 et 912 atque addit, „ex quo, olim Mazarin., Combefisius edidisse videtur librum, quem ille vocat aureum“. Suspensus est enim ille vir hunc librum florilegium quoddam esse, si hoc verbo uti licet, ex Chrysostomi operibus collectum, atque est eiusmodi florilegium de puerorum educatione cum multis aliis a Theodoro Magistro, ut videtur, compositum. Cuius florilegii libros mss. complures recensuit Haidacher,⁵⁾ quibus addendi sunt et alii non pauci, e quibus unum afferre satis habeo nuper a Nicolao A. Bees in monasteriis Thessalicis inventum,⁶⁾ et ii, quos Fabricius attulit; atque de Marciano id mecum communicavit Pastorello, qui in Marciana bibliotheca munere bibliothecarii fungitur; Parisinum utrumque item illud continere florilegium, ex catalogo Henrici Omont⁷⁾ facile cognosci potest. Nec vero quidquam ex eo in hoc libro, de quo nunc sermo est, contineri, docuit Haid. loco quem modo attuli.

II. Jam vero de illo libro verba faciam oportet, quem unum invenire potui. Est autem liber Parisinus 764, olim regius 1974, antea inter eos, quos Mazarinus collegerat, 26. Atque in fol. 1. scriptum est „ex Bibliotheca Cardinalis Mazarini“, sub qua inscriptione invenitur numerus 1974, in fol. 441. sigillum est bibliothecae regiae. Qui liber unde in bibliothecam Maz. pervenerit, equidem nescio, cum neque ipsum librum inspexerim nec quidquam de ea re tradant, qui de bibliotheca Maz. scripserunt.⁸⁾ In bibliothecam autem publicam sine dubio perlatus est a. 1688 a Colberto, qui tum plurimos libros et manuscriptos et alios ex Mazariniana in publicam transferendos curavit,⁹⁾ quorum cata-

⁴⁾ Fabricius-Harles, Bibl. Graeca VIII, p. 562.

⁵⁾ Haidacher, Studien über Chrysostomus - Eklogen; Wiener Sitzungsber. Phil.-Hist. Classe CXLIV, Wien 1902, p. 5 ss.

⁶⁾ N. A. Βέης, *Ἐκθεσις παλαιογραφικῶν καὶ τεχνικῶν ἐρευνῶν ἐν ταῖς μοναῖς τῶν Μετεώρων, Ἀθήνησι* 1910, p. 34.

⁷⁾ H. Omont, Inventaire sommaire des mss. de la bibl. nationale, Pr. partie, Paris 1886, p. 142 s; 172 s.

⁸⁾ Franklin, Histoire de la bibl. Mazarine, Paris 1860; Servois in Correspondance littéraire V 1860, p. 272 alias.

⁹⁾ Delisle, Le cabinet des mss. de la bibl. impériale I, Paris 1868, p. 281 ss.

logus est apud Bernardum Montfaucon.¹⁰⁾ Ex hoc eodem Parisino Franc. Combefisius librum illum de educandis liberis edidit¹¹⁾ atque in epistula, qua librum Mazarino dedicat, erudita sane manu eum esse conscriptum ipsaque vetustate venerabilem esse profitetur. Sed ut rem diligentius persolvam, est liber membranaceus continens secundum Henricum Omont¹²⁾ fol. 441 formae maioris, in quo plurima Chrysostomi scripta inveniuntur, quae ibidem enumerantur. In fol. 440 s. fragmentum quoddam act. S. Thomae habetur. Fridericus autem Dübner¹³⁾ folia quaedam excisa esse a divite quodam homine, qui Chrysostomum vehementer in divites increpantem ferre non potuerit, testatur. Sed prospere accidit, ut huic libro eiusmodi damnum illatum non sit; integer enim invenitur in fol. 314^v—343^v, quorum imaginem photographica mihi comparavi. Scriptus est autem in binis columnis vicenorum senorum versuum elegantissimis litteris minusculis, si Henrico Omont credas, saec. X. Atque quod Gardthausen putat librum non post saec. X. scriptum esse, si litterae super lineas positae sint,¹⁴⁾ id quidem in hoc libro observatur in fol. 344^v, ubi incipit liber de virginitate a Chrysostomo compositus; in fol. vero 439^v per medias litteras plerumque ductae sunt lineae, a fol. 314^v—343^v semper sub lineis positae sunt litterae. Videtur igitur scriptus esse, cum priore relicto recentiore modo librarii uti coeperunt. Formae autem litterarum haud scio an magis convenient saec. XI. Atque ut alia omittam, β semper tota super lineam posita est, id quod Gardthausen a saec. XI. medio sibi deprehendisse videtur,¹⁵⁾ litterae η forma iam utitur librarius unciali,¹⁶⁾ θ litterae forma cursiva quam

¹⁰⁾ Montfaucon, Bibliotheca bibliothecarum Paris 1739, vide p. 1310 s.

¹¹⁾ Fr. Combefis., S. Joannis Chrysostomi de educandis liberis liber aureus, Paris 1656.

¹²⁾ Inv. somm. I, p. 131 s.

¹³⁾ S. Joannis Chrysostomi opera sel. . . . emendavit Fr. Dübner I, Paris 1861, p. VIII.

¹⁴⁾ Gardthausen, Griechische Palaeographie I, Leipzig 1911, p. 187 ss.

¹⁵⁾ Gardthausen, Griechische Palaeographie II, Leipzig 1913, p. 219.

¹⁶⁾ ib. p. 225.

vocant et seiuncta ab aliis et ligata cum plurimis saepe occurrit.¹⁷⁾ Cum novum enuntiatum incepit, primae litterae versuum, qui proxime sequuntur, atque eae formae uncialis maioris extra ordinem ceterarum positae sunt. Litterae unciales praeterea adhibitae sunt inscriptionibus, quae elegantissimis ornamentis circumcluduntur. In fine singulorum versuum librarius scripturam interruptit et verborum et syllabarum exitu neglecto. Notae huic libro in margine adscriptae non sunt, aliis, qui in illo Parisino continentur, non raro. Interpunctionibus ita uti videtur librarius, ut punctum summis litteris adpositum maximum efficiat incisum, minus vero valeat, cum infimis, minimum, cum mediis adponitur litteris, quamquam inter haec duo non multum interesse fateor. Interdum comma quoque, quod vocatur, invenitur. Signum autem interrogationis posuit ille eam rationem secutus, ut, cum a particula aliqua interrogativa incipiat interrogatio, illud non poneret duobus locis exceptis, si minus, non omitteret item duobus locis exceptis. A. H(eisenberg) quidem negat omnino illud inveniri in libris mss. illorum temporum,¹⁸⁾ ac quod alii pro signo interrogationis accipiunt, ille maioris morae signum esse affirmat quam eius, quae puncto efficiatur. Quod tamen non omnibus probari existimo. Neque enim, cur eiusmodi potissimum enuntiatas tam sibi constans illud signum adposuerit, equidem intellego. In accentibus spiritibusque ponendis fere eum morem observavit, quem adhuc tenemus, praeterquam quod in quibusdam verbis, quae ex binis in singula coaluerunt, binos accentus spiritusve posuit velut in *μηδεῖς, ὅταν, οὐκέτι*, semper autem scripsit *διαπαντός, διατί*. Praeterea in illis verbis a recentiore usu recessit, quae *ἐγκλιτικά* Graeci vocant, nec semper sibi in ea re constat. Dubitasse videtur in aoristis optativi verborum in *μι* desinentium; bis enim invenitur *πρόοιντο, μετάθοιντο*, bis vero *περιθοῖτο, ἀποθοῖτο*. *Μέν, δέ* nonnumquam geminato accentu signavit. *ι ἀνεκρώνητον* nusquam neque adscriptum neque subscriptum est. *ν* quod vocatur *ἐφελκυστικόν* nusquam deest ante vocalem aut maiores interpunctiones, saepius invenitur ante consonantem. Idem dicendum est de littera *σ*, in quam cadunt

¹⁷⁾ ib. p. 221.

¹⁸⁾ Byzant. Zeitschrift XX 1911, p. 295 s

οὕτως, μέγας. Compendiis utitur illis in christianorum libris usitatis atque pro verbo καί; littera *v* versibus exeuntibus saepe omissa est lineola superposita. Eadem autem manus totum librum perscripsit scriptura perpaucis locis correcta.

III. Sed quoniam de hac re satis multa verba fecisse mihi videor, paucis referre iuvat, quid docti viri in hoc de liberis educandis libro edendo existimando vertendo elaboraverint. Atque praeter ceteros hic laudandus est Franciscus Combesius, qui anno 1656 eum in lucem edidit versione Latina addita ac praefatione praemissa, qua ubi hunc librum invenerit, quam sit egregium, quibus de causis Chrysostomi eum esse appareat breviter exponit. Quo in opere perficiendo non ea diligentia ille usus est, quam his quidem temporibus desideramus, temere commutans, quae in eius offensionem cadebant ac multa omittens, ac ne versio quidem eius Latina ex omni parte perfecta est; namque nonnulla perperam interpretatur, interdum nimis vestigiis Graeci scriptoris insistens aliquid obscuritatis habet, non semper optimae Latinitatis auctores imitatus est. Qua tamen in re non nimis vituperandus est; noli enim neglegere homines illius aetatis alias leges secutos esse ac viros doctos recentiores. Quod vero Lambecius iam tum eum conviciis obruit,¹⁹⁾ non integrum hunc iudicium de eo tulisse facile cognosci potest ex Fabricio, qui, quod ille assiduo labore perfecit, benevole in bibl. Graeca recensuit.²⁰⁾ Immo optimo iure et aequales non pauci summis eum laudibus extulerunt²¹⁾ et posterī maximam ei debent gratiam. Etenim non solum hic liber, de quo nunc sermo est, eius unius opera etiamnum typis impressus est, sed etiam alii velut liber de monachis in monte Sina interfectis, quo qui casum illorum miserrimum cognoscere vult carere nequit.²²⁾ Combe-

¹⁹⁾ cf. Jacob. Fr. Reimmann, Recensio specialis omnium cod. mss. bibl. Caes. Vind. Hannover. 1712, p. 259.

²⁰⁾ Bibl. Gr. VIII, p. 83.

²¹⁾ cf. Perrault, Les hommes illustres, qui ont paru en France pendant le XVII. siècle II, Paris 1701, p. 48; Dupin, Bibl. des auteurs eccl. du XVII. siècle III, Paris 1719, p. 294 s; Garnerius in praef. operum S. Basilii, Migne P. Gr. XXIX, p. 179 s.

²²⁾ Combesius, Illustrium Christi martyrum lecti triumphus, Paris. 1660, p. 88 ss; cf. Schiwietz, Das morgenländische Mönchtum II, Mainz 1913, p. 6 ss.

fisii autem versio Latina iterum edita est Lugduni a. 1687,²³⁾ tertium, quod ego sciam, Florentiae a. 1791.²⁴⁾ Quam versionem ut cognoscerem, per Chrysostomum Baur factum est. Quin vero ipsa quoque ex Combefisii libro pendeat, equidem non dubito, quamquam inspicere eam non potui, cum publicis Borussiae bibliothecis desit. Versionem autem Germanicam, ut supra iam commemoravi, a. 1907 edidit Haidacher, qui idem ut Graecum librum iterum ederet sibi proposuerat, immatura autem morte, quominus id perficeret, impeditus est. Ac maxima laude dignus est ille, quod hunc librum ex oblivione eruit ac S. Joanni Chrysostomo restituit, de qua re infra dicendum erit. Versio autem eius, cum tota fluxerit ex Combefisii libro, locis non paucis a vero abhorret. Accedit quod id potissimum agebat Haidacher, ne Germanicae linguae leges violaret; quo in studio felicissimus ille quidem fuit, effecit autem, ut paraphrasin quae vocatur eius versionem appellare cogamur atque etiam non raro eum in errorem adductum deprehendamus. Denique Johannes Evelyn huius libri partem posteriorem incipiens a verbis τὸ παιδίον ἐν θένος ἐτέχθη in Anglicum vertit a. 1658.²⁵⁾ Ut vero non totum librum verteret ille, ideo factum est, quod et fratribus de liberis amissis eo libro solatium praebere volebat et suum ipsius dolorem consolari, quippe qui ipse quoque unico filio orbatus esset; ad id autem assequendum priorem partem minus idoneam esse ultro apparet. Illud etiam moneo hac re, quanti hunc librum aestimaverit Evelyn, luculenter demonstrari. Addidit idem pauca ad Graeca illustranda.²⁶⁾

IV. Videamus nunc, quibus de causis ii, qui Chrysostomi opera collegerunt, hunc librum egregium aspernati sint. Atque equidem neque ad Savilium neque ad Frontonem Ducaeum cognitionem eius pervenisse putaverim. Monachos autem Maurinos eum pro spurio habuisse atque omnino reiecisse suo iure mirum esse censet Haidacher, cum complura volumina scriptis falso,

²³⁾ cf. Haidacher, p. 17.

²⁴⁾ Cigheri, S. Matris nostrae cath. eccles. dogmatum et morum ex selectis vet. Patrum operibus veritas demonstrata XIII, Florentiae 1791, p. 150—169 (Baur).

²⁵⁾ John Evelyn, Miscellaneous writings, London 1825, p. 113—137.

²⁶⁾ ib. p. 138—140.

ut ipsi putabant, Chrysostomo tributis complerent. Atque ex ipso illo Parisino non pauca eius generis prompserunt, quae affero: de uno legislatore veteris et novi testamenti;²⁷⁾ in illud: Pone manum tuam;²⁸⁾ de s. Acacio pastore;²⁹⁾ de sigillis librorum;³⁰⁾ in illud: Dominus regnavit;³¹⁾ de s. Spiritu;³²⁾ de fide;³³⁾ in illud: Cavete, ne eleemosynam faciatis;³⁴⁾ de eo, quod mari similis sit haec vita;³⁵⁾ Duas illius Parisini orationes in Christi nativitatem et de inani gloria liberisque educandis habitas ex iis, quas illi spurias iudicabant, non asciverunt. Reliqua omnia genuina haberi posse censuerunt Maurini, quamquam de sermone in S. Bassum habito quodammodo dubitant.³⁶⁾ Illum autem in Christi nativitatem sermonem Combefisius una cum libro de educandis liberis edidit, ut hac fortasse de causa hos ipsos duos libros a collectis operibus Chrysostomicis illos reiecissem coniciam. Haidacher vero id factum esse suspicatur, quia Montfaucon, cum operibus Chrysostomi colligendis operam daret, octoginta fere annos natus fuerit ac propterea tironum quorundam in eo opere auxilio usus sit.³⁷⁾ Ipse quoque Lagarde Bernardum Montfaucon aetate provecta excusari censet, quod non in omnibus rebus eam editionem laudare possimus.³⁸⁾ Ac tamen iam Combefisius paucis demonstrare studuerat hunc librum vere esse s. Joannis Chrysostomi atque ei nihil cunctatus assensus est Tillemontius³⁹⁾ nihil novi hic quidem ad hanc quaestionem diiudicandam afferens. Sed perincommode accidisse putat Haidacher, quod Oudin in commentario de scriptoribus ecclesiae antiquis⁴⁰⁾ falso suspicatus sit idem esse florilegium illud, quod supra commemoravi, ac librum a Combefisio editum, in quem errorem item Fabricium incidisse eo loco monui; hunc tamen librum nequaquam ex aliis operibus collectum esse ultro intelleget, qui vel obiter eum legerit. Spurium eum esse item censuit

²⁷⁾ VI 469 ss (400 ss).

²⁸⁾ VI 667 ss (569 ss).

²⁹⁾ III 983 ss (811 ss).

³⁰⁾ XII 554 ss (402 ss).

³¹⁾ V 745 ss (610 ss).

³²⁾ III 963 ss (796 ss).

³³⁾ I-1015 ss (825 ss).

³⁴⁾ VIII 724 ss (90 ss).

³⁵⁾ XIII 255 ss (213 ss).

³⁶⁾ II 864 ss (724 ss).

³⁷⁾ Haid. p. 18.

³⁸⁾ Lagarde, Ankündigung einer neuen ausgabe der griechischen übersezung des alten testaments, Göttingen 1882, p. 50.

³⁹⁾ Tillemont, Memoires XI, p. 398.

⁴⁰⁾ Haid. p. 18.

Malou, qui ipse quoque praecepta quaedam Chrysostomi de educandis pueris collegit.⁴¹⁾

V. Iure igitur iterum inquisivit Haidacher, essetne genuinus habendus ille liber, atque certissimis argumentis demonstrasse sibi videtur dubitari non posse quin Chrysostomus eum conscripserit. Equidem vero supervacaneum non esse opinor argumenta ab eo allata ante oculos ponere, ut deinceps, quid de iis sentiam, exponam. Ac primum quidem testimonium libri Parisini omnino neglegendum non esse censet. Sermonis autem proprietates optime convenire cum ceteris Chrysostomi scriptis; praeterea quidquid de illorum temporum moribus et institutis afferatur, omnino a veritate alienum non esse; rationem quoque puerorum educandorum plane eandem esse, quam Chrysostomus parentibus commendare non desinat. Postremo ita non dubitat de ea re, ut etiam quo tempore scripserit illum librum Chrysostomus facile cognosci posse profiteatur. Artissime enim cohaerere eum cum homilia quam vocant X. in ep. ad Eph.;⁴²⁾ quam Antiochiae compositam esse constare. In ea autem homilia sermonem fieri de incendio, quo ampla domus deleatur, quod orator comparet cum inani gloria unum corpus ecclesiae dilacerante; alio eiusdem homiliae loco cum fera bestia comparari inanem gloriam atque utrumque cadere in ecclesiam Antiochensem, quae tum maxime discordia laborarit. Cuius rei commutatio ut fiat, adhortari oratorem eos qui audiant, ut deum rogent. Nec vero in ceteris Chrysostomi scriptis ullum locum inveniri, quo tales res commemorantur. Ac paulo post quam illam orationem habuerit, in hac oratione, de qua nunc sermo est, quaerere ex auditoribus Chrysostomum, fecerintne, quod rogasset, ac deum implorarint pro universo ecclesiae corpore, ut incendium exstinguatur et fera bestia in fugam coniceretur; a quibus interrogationibus orsum describere eum certamen, quod ecclesiae sit cum inani gloria. Praeterea duabus rebus confirmari Constantinopoli scriptam eam non esse; oratorem enim postquam descripsisset hominem quendam divitem, qui divitiis profusis in angustias incidisset,

⁴¹⁾ Malou, S. Patris nostri Jo. Chrys. de educandis liberis monita, Lovanii 1847, p. VIII s.

⁴²⁾ XI 85 ss (74 ss).

pergere: *τάχα ὥστε τινὰ τοῦτο παθόντα μηδαμῶς*,⁴³⁾ nec fieri potuisse, ut ita diceret Chrysostomus Constantinopoli Eutropio illo dignitate everso. Ac ne illud quidem verisimile esse Chrysostomum de se ipso verba facientem dicere: *αδیره τὸν προσετώτα τῆς ἐκκλησίας*.⁴⁴⁾

Iam vero, quae sit in his argumentis auctoritas, investigandum erit. Atque ut eundem ordinem sequar, non nimis confidendum est testimonio libri Parisini. Etenim et Tillemont et Haidacher a Combefisio in errorem adducti sunt; qui cum dixisset „inter maiores Chrysostomi Tractatus de habentibus subintroducticias, ac de Virginitate“⁴⁵⁾ sedem habere sermonem de educandis pueris, facile illis veniam damus, quod nihil praeterea interiectum esse arbitrati sunt duobus illis scriptis a Combefisio allatis. At hunc ordinem observavit librarius: ad eos, qui domi subintroducticias tenent, hom. duae fol. 222, in laudem martyrum Aegyptiorum f. 279, in illud: Scimus autem, quoniam diligentibus deum f. 285^v, de eo, quod mari similis sit haec vita f. 294^v, in illud: Quemadmodum desiderat cervus f. 298^v, de inani gloria f. 314^v, de virginitate f. 344. Apparet complura inter illos posita esse libros ac ne genuina quidem ex parte.⁴⁶⁾ Quae vero iam Combefisius observaverat et Haidacher uberius exposuit de dicendi genere, de tropis figurisque, de doctrina ac praeceptis, quae in eo inveniuntur quaeque eadem in omnibus Chrysostomi libris sunt, ea omnia recta esse concedo. Atque in adnotatione, quam versionem addidit, Haidacher multa attulit, ut quanta intercederet necessitudo huic libro cum ceteris Chrysostomi scriptis ostenderet, qua quidem in argumentatione res potius quam sermonis proprietates ille respexit. Atque ut recte eum iudicasse intellegas, testimonia quaedam huius necessitudinis afferre e re esse puto. Capite 3. inanis gloria comparatur cum fructibus Sodomorum;⁴⁷⁾ similia de iis profert Chrysostomus in hom. VIII. in I. ep. ad Thess.: *Ἐσθήκασιν μὲν γὰρ ῥόαι, καὶ τὸ ξύλον λέγω καὶ ὁ καρπὸς, λαμπρὰν τὴν ἐπιφάνειαν ἔχονσαι καὶ τῷ ἀγνώστῳ παρέχονσαι πολλὰς τὰς ἐλπίδας· εἰ δὲ ληφθῇεν εἰς χεῖρας, δια-*

⁴³⁾ vide infra, p. 4, 19. ⁴⁴⁾ infra, p. 28, 12.

⁴⁵⁾ Comb. praef. ⁴⁶⁾ vide supra, p. VII.

⁴⁷⁾ infra 2, 25 ss.

κλασθεῖσαι καρπὸν μὲν οὐδένα, κόνιν δὲ καὶ τέφραν πολλὴν
 δεικνύουσιν ἐναποκειμένην ἔνδον.⁴⁸⁾ Pauperes non raro significat
 nomine Christi ut in hom. XLIX. in Matth.: Βοίλευθε εἰς μέσον
 ἀγάγω τὸν Χριστὸν τὸν λιμώττοντα, τὸν γυνὸν, τὸν ἀλώμενον
 πανταχοῦ, τὸν δεδεμένον;⁴⁹⁾ Simile quid invenitur in huius libri
 cap. 12.⁵⁰⁾ Contra nimium comae cultum verba facit c. 16,⁵¹⁾
 similiter in hom. XXXVII. in Matth.: Ὁ μὲν γὰρ ὅπισθεν ἔχει
 κόμην νέος ὢν, καὶ τὴν φύσιν ἐκθιλήντων . . . εἰς εἰκόνα κόρης
 ἀπαλῆς ἐκβῆραι φιλονεικεῖ.⁵²⁾ Qua artifices utantur diligentia in
 statu fingendis, eadem parentes uti oportere contendit, ut animos
 fingant liberorum c. 22,⁵³⁾ isdem fere verbis usus in hom. de
 eligendis viduis: Νόμισον ἀγάλματα χρυσᾶ ἔχειν ἐπὶ τῆς οἰκίας,
 τὰ παιδιὰ καθ' ἑκάστην ἡμέραν αὐτὰ θύθμιζε καὶ περισκόπει
 μετὰ ἀκριβείας καὶ παντὶ τρόπῳ τὴν ψυχὴν αὐτῶν κατακόσμει
 καὶ διάπλατε.⁵⁴⁾ Carminis cuiusdam mentionem facit c. 38;⁵⁵⁾
 idem affert in hom. VI. in I. ep. ad Thess.: Ἡ δεῖνα, φησὶ, τὸν
 δεῖνα ἐφίλησε.⁵⁶⁾ His locis, quos cum multis aliis attulit Hai-
 dacher, multo plures facile addi possunt; hos proposuisse satis
 erit. C. 13 quam ex vasis pretiosis utilitatem capiant, quaerit
 ex iis Chrysostomus, qui ea possident;⁵⁷⁾ idem occurrit in hom.
 III. in Joh.: Εἰ γὰρ ἐθελήσεις ἐρωτῆσαι τινα τῶν πολιτευομένων
 καὶ τὰ πολυτελῆ δαπανώντων δαπανήματα, τίνος ἕνεκεν τοσοῦτον
 κενοῦσι χρυσίον, καὶ τί βούλεται αὐτοῖς ἢ τοσαύτη δαπάνη, οὐδὲν
 ἕτερον ἀκούσῃ παρ' αὐτῶν, ἀλλ' ἢ τοῦ δήμου τὴν ἀρέσκειαν.⁵⁸⁾
 Parentes admonentur c. 81, ne filios matrimonio iungere dubi-
 tent, priusquam rebus publicis operam dent;⁵⁹⁾ de eadem re
 saepius verba facit Chrys., velut in hom. LIX in Matth.: Δεῖ
 γὰρ ἀναμεῖναι, φησὶν, ἵνα εὐδόκιμος γένηται, ἵνα ἐν τοῖς πολιτικοῖς
 λάμψῃ πράγμασι,⁶⁰⁾ et in hom. X. in I. ep. ad Tim.: Τυχὼς
 αὐτοῖς γυναῖκας ἄγωμεν, ὥστε καθαρὰ αὐτῶν καὶ ἀνέπαφα τὰ
 σώματα δέχεσθαι τὴν νύμφην οἷτοι οἱ ἔρωτες θερμοτέροι.⁶¹⁾
 Denique c. 2 multis describitur meretrix, quae adolescentem

⁴⁸⁾ XI 557 (481 B C). ⁴⁹⁾ VII 574 (510 E). ⁵⁰⁾ infra p. 5, 26 ss.
⁵¹⁾ infra p. 7, 25 ss. ⁵²⁾ VII 475 (422 D). ⁵³⁾ infra p. 9, 15 ss.
⁵⁴⁾ III 380 (319 C). ⁵⁵⁾ infra p. 13, 34. ⁵⁶⁾ XI 538 (465 A).
⁵⁷⁾ infra p. 6, 14 ss. ⁵⁸⁾ VIII 27 (23 D). ⁵⁹⁾ infra p. 27, 21 ss.
⁶⁰⁾ VII 680 (604 C). ⁶¹⁾ XI 664 (597 A).

corrumpere studet; similia habes in hom. XII in ep. ad Col.⁶²⁾ et in ep. III. ad Olympiadem,⁶³⁾ quae tamen longiora sunt, quam ut hic ob oculos ponantur.

Homiliam vero X. in ep. ad Eph. Antiochiae compositam esse ex hom. XXI in ep. ad Eph. apparet.⁶⁴⁾ Ac ne illud quidem negari potest similia esse, quae in ista homilia proferuntur, iis quae initio huius libri dicuntur. Quare si quis Sebastiano Haidacher fidem habere vult, per me licet. Neque tamen omnem dubitationem sublatam esse puto. Nam praeterquam quod de iisdem rebus identidem verba facere iisdemque comparisonibus saepius uti fere solet Chrysostomus, valde mirum est praeter exordium in toto de liberis educandis libro vestigium non esse discordiae inter Antiochenses exortae ac magis etiam nullam huius libri mentionem fieri in hom. XXI in ep. ad Eph., in qua multa iterum de educandis pueris profert Chrysostomus explicans illud Ep. ad Eph. VI, 1—3: Fili, obedite parentibus ssq. Praeterea si tam arte cum ista hom. cohaereat hic liber, suo iure quaerat quispiam, quomodo factum sit, ut cum illae in ep. ad Eph. homiliae saepius inveniuntur, hic liber, qui ab iis separari non potest, paene evanesceret. Quod quomodo fieri potuerit equidem non perspicio. Quod autem de illo loco: *τάχα ἴστε τινὰ τοῦτο παθόντα μηδαμῶς* Haid. dicit, in eo plane eum errare mihi persuasi. Vertit enim: Vielleicht ist euch kein Mann bekannt, dem solches widerfahren wäre.⁶⁵⁾ Ex sententiarum autem nexu facile intellegi potest contrariam in illis verbis vim inesse oportere, ut orator fortasse eos aliquem novisse dicat, cui id contigerit, id quod efficitur, si illud enuntiatum cum Combefisio interrogationem putamus. Quominus autem id fiat, nihil obstat. Ceterum saepissime divites ac summos viros bonis eversos in maximam egestatem delapsos esse ipse Chrysostomus non semel testatur.⁶⁶⁾ Itaque haud scio an non dixerit fortasse auditores scire neminem, cui id contigerit. Immo si quidquam ex illo loco cognosci potest, potius post Eutropii exsilium ac necem ea verba prolata esse

⁶²⁾ XI 481 (415 D E). ⁶³⁾ III 681 (566 C); 682 (567 B).

⁶⁴⁾ cf. Cavallera, Le schisme d'Antioche, Paris 1905, p. 20 notam.

⁶⁵⁾ Haid., p. 37 cum nota.

⁶⁶⁾ III 465 (390 B); V 610 (507 D).

susplicari licet. Nam in I. hom. in Eutropium⁶⁷⁾ circum divitias eius exhausisse affirmat Chrysostomus; idem vehementer increpat in eos, qui cum modo illum laudibus ad caelum extulerint, tunc obruant eum conviciis,⁶⁸⁾ plane similibus verbis usus atque in libro de educandis liberis.⁶⁹⁾ Nec vero eiusmodi argumentis non nimis fidendum esse optime scio. Quod praeterea affert Haid. Chrysostomum non de se ipso tamquam de alio dicere posse adirent τὸν προεστῶτα τῆς ἐκκλησίας, prorsus nihil valere equidem censeo. Sed ut rem absolvam, etsi non omnia recte se habent, quae attulit Haidacher, tamen, quod sibi proposuerat, demonstrasse eum et alii iam professi⁷⁰⁾ sunt ac ne ego quidem negaverim.

VI. Exposui quae Haidacher, ut librum de educandis liberis Chrysostomi esse demonstraret, disseruit; nunc quae ipse ad eam rem confirmandam afferre possum quam brevissime exponam. Ac primum quidem non alienum videtur esse ab instituto meo commemorare ipsum Chrysostomum animis adulescentium fingendis operam dedisse; id enim cognovi ex ep. eius LXI ad Theodotum quendam consularem⁷¹⁾ data, qui filium, ut animum doctrina excoleret, ad Chrysostomum miserat tum in Armenia exsulantem. Qui, etiamsi precibus patris obsequi non poterat, cum ex alia in aliam urbem traduceretur atque in perpetuis summisque periculis versaretur, florentibus rebus sine ulla dubitatione plurimum studii atque laboris ad fingendos puerorum animos contulit. Ac ne illud quidem silentio praeterire possum Chrysostomum, quidquid ageret, hoc unum semper spectavisse, ut mores emendaret. Neque enim multitudinis plausum captabat, quamquam mirum non est aliquam eum voluptatem ex summis

⁶⁷⁾ III 455 (382 A B). ⁶⁸⁾ III 465 (390 A). ⁶⁹⁾ infra p. 4, 19 ss.

⁷⁰⁾ cf. Weyman, Hist. Jahrbuch XXIX 1908, p. 147; idem Byz. Zeitschr. XVII 1908, p. 250; Hülster, Die pädag. Grundsätze des hl. Joh. Chrys., Theol. und Glaube III 1911, p. 203; idem Lexikon der Pädagogik ed. Roloff I, p. 670—72; Bardenhewer, Geschichte der altkirchlichen Literatur III, Freiburg 1912, p. 347 s.; Kahl, Deutsche Literaturzeitung 1907, p. 3157; idem Literarische Beilage der Köln. Volkszeitung 1907, No. 43; Krüger, Theol. Jahresbericht XXVII 1907 I, Leipzig 1908, p. 324; Stählin in Christs Geschichte der griechischen Literatur, 5. Aufl. II, p. 1223 cum nota 4.

⁷¹⁾ III 754 s (627 A—C).

laudibus ab omnibus sibi concessis percepisse, ac ne doctrinae quidem christianae veritatem ab adversariis imprimis defendere studebat, sed sescentis orationibus habitis a vitiis detertere atque ad recte vivendum omnes impellere animum induxerat. Sive igitur sacros libros interpretabatur sive sanctorum martyrum res gestas laudibus efferebat, semper quem fructum ex verbis suis auditores capere possent, praeter cetera inculcabat. Omnino autem eandem rationem in explicandis libris sacris sequitur, qui hunc librum composuit.⁷²⁾

Sed haec leviora; illud vero nequaquam neglegendum est sermonis proprietates in omnibus Chrysostomi operibus plane easdem esse atque in hoc libro, id quod nunc exemplis nonnullis demonstrabo. Ac mirum quantum saepissime in orationibus res maxime diversas una Chrysostomus amplectitur; hoc autem de hoc quoque libro valere ultro apparet. Priorem enim eius partem, quae est de inani gloria cum posteriore, quae est de educandis liberis, vix cohaerere, ipsa argumentorum diversitas documento est. Atque etiam in ipsa posteriore parte instituti non semel obliviscitur, qui eum conscripsit, velut ubi de nominibus liberis impertiendis verba facit, de qua re mentione facta nominis Jacobi in Israellem mutati pluribus monet parentes, ut ex sanctorum virorum nominibus liberis nomina dent, inter quae obiter de superstitione ethnicorum qui vocantur a multis etiamtum observata illos reprehendit. Multa autem de hac re professus vix ad institutum reversus est, cum statim iterum de nominibus alia profert, quae inter dicendum ei in mentem venerunt.⁷³⁾ Hanc autem rem item in aliis Chrysostomi orationibus inveniri ut ostendam, unam instar omnium afferam, eam dico, quam habuit, cum Eutropius extra ecclesiam deprehensus abriperetur,⁷⁴⁾ qua de rebus tam diversis dicit, ut eam non unam esse suspicati sint viri docti. Frustra tamen, nam eiusmodi diversitatem a se alienam non esse ne ipse quidem Chrysostomus ignorabat, qui ex aliis rebus in laudes s. Pauli abreptus se excusat: *Καὶ γὰρ ὅτε, πολλάκις ἐτέρωθί με βαδίζοντα καὶ τετραμμένον ἀπαντίσας (Παῦλος) ἐν μέσῳ τῷ λόγῳ κατέσχε καὶ οὕτως εἶλεν, ὥς ἐν*

⁷²⁾ infra p. 16, 5 ss; 16, 20 ss; 17, 16 ss; 19, 23 ss.

⁷³⁾ infra p. 18, 14 ss.

⁷⁴⁾ III 460 ss (386 ss).

ἀντὶ τοῦ πείσαι καταλῆσαι τὸν λόγον.⁷⁵⁾ Abundat autem in orationibus Chrysostomus translationibus comparisonibusque non semper sui similibus atque in longum protractis. Iam habes in hoc libro illam imaginem daemonis meretricis personam agentis, quocum comparatur inanis gloria.⁷⁶⁾ Eadem alio loco comparatur cum fera bestia, quae comparatio item multis explicatur.⁷⁷⁾ Praeter ceteras autem digna est, quae afferatur, illa per totam huius libri partem posteriorem deducta, qua comparatur animus pueri cum urbe a rege quodam nuper condita.⁷⁸⁾ Similia si ex ceteris Chrysostomi scriptis desideras, lege quaeso initium orationis de s. Philogonio habitae, ubi caelum cum celebritate publica comparat⁷⁹⁾ vel sermonem de Isaiae 45, 7, ubi mundum lyram esse quandam multis exponit⁸⁰⁾ vel hom. X in ep. ad Eph., ubi domus igne correpta comparatur cum ecclesia, quam inanis gloria dilacerat.⁸¹⁾ De percontationibus vero Chrysostomo praeter ceteros usitatissimis, ut iure Demosthenis similem esse eum in ea re quidam docuerint, verba facere supervacaneum esse puto, cum quamvis paginam operum Chrysostomi perlegeris, eam rem ipse inventurus sis. Vix autem ulla re Chrysostomi orationes clarius ab aliis discerni posse existimo, quam abundantia et luxuria quadam, qua omnes laborant. Quae cognoscitur percontationibus iteratis, exemplis cumulatis, comparisonibus continuis, maxime verbis, quae plerumque non multum differunt, congestis. Cuius rei ex hoc libro exempla quaedam proposuisse satis esse suspicor: μετὰ δὲ τὸ πολὺ δαπανῆσαι χρυσίον καὶ ἀργύριον, ἵππους, ἱμάτια, παιδας καὶ πάντα ἐκείνα καὶ κενῶσαι πολλὰς οὐσίας;⁸²⁾ δείκνται ἡ σποδὸς τῆς φωνῆς ταύτης καὶ ἡ τέφρα καὶ ἡ κόπρις;⁸³⁾ ὁμότητος γὰρ δόξαν λαμβάνει τις, μαλακίας, βλακείας καὶ τύφου, κενοδοξίας, θηριωδίας;⁸⁴⁾ ἔχεις αὐτὸν ἐν τρέμοντι καὶ φοβούμενῳ καὶ δεδοικῶτι;⁸⁵⁾ τοὺς ἐβριστικὸν λόγον καὶ λοιδοροῦν, τοὺς ἀνότους, τοὺς αἰσχροῦς, τοὺς βιωτικόν, τοὺς κοσμικόν πάντας ἐξελάσωμεν;⁸⁶⁾ μηδεὶς τοίνυν εἰς τὰ τῶν προγόνων σπενδέτω καλεῖν ὀνόματα τὰ παιδία, τοῦ πατρὸς καὶ

⁷⁵⁾ VI 171 (149 C). ⁷⁶⁾ infra p. 2, 1 ss. ⁷⁷⁾ infra p. 1, 5 ss.

⁷⁸⁾ Similis comparatio invenitur apud Greg. Nyss. Migne P. Gr. XLIV 151 C—153 A. ⁷⁹⁾ I 603 (492 B ss). ⁸⁰⁾ VI 167 (145 E).

⁸¹⁾ XI 88 (77 B). ⁸²⁾ infra 3, 28 ss. ⁸³⁾ infra 3, 36 s.

⁸⁴⁾ infra 6, 35 s. ⁸⁵⁾ infra 8, 30 s. ⁸⁶⁾ infra 11, 20 ss.

τῆς μητρὸς καὶ τοῦ πάππου καὶ τοῦ ἐπιπάππου, ἀλλ εἰς τα
τῶν δικαίων, τῶν μαρτύρων, τῶν ἐπισκόπων, τῶν ἀποστόλων.⁸⁷⁾

Quid mirum Combefisium non raro unum aut alterum verbum in tanta mole omisisse? Ceterum in omnibus scriptis eam doctrinam prae se fert Chrysostomus, qua admodum adulescens rhetorum scholis imbutus erat. Ac vix quisquam usque ad hoc tempus, quod ego sciam, dubitavit, quin Libanio illo clarissimo doctore usus sit,⁸⁸⁾ ac ne nunc quidem ego adductus sum, ut ab opinione discederem, quamquam Paulus Maas demonstrasse sibi videtur omnes errasse, qui id verum esse putarent.⁸⁹⁾ Quod enim ille putat Chrysostomum pietate prohibitum esse iis verbis uti quibus in oratione de s. Babyla et contra gentes⁹⁰⁾ Libanium appellet, prorsus eum errare puto. Nam ibi cum Libanio rem habet Chrysostomus tamquam adversario, non tamquam praeceptore; atqui si quisquam, oratores adversariis parcere minime consueverunt. Chrysostomum autem interdum extra modum prodire testimonio est, quod de Attico dicit, qui cum ipse in exilium eiectus esset, ecclesiae Constantinopolitensi praeerat; *ἱερὸς* enim *νῦν φαῦλος γεγενημένος* appellatur καὶ *λύκον παντὸς ἀγριώτερον ἐπιπιδῶν τῇ ἀγέλῃ*.⁹¹⁾ Ac ne illud quidem constare videtur Isidorum Pelusiotam errare, qui epistulam a Libanio ad Joannem quendam datam pertinere arbitratur ad Joannem Chrysostomum.⁹²⁾ Testimoniis autem Socratis et Sozomeni, qui quidem Socratem exscripsit,⁹³⁾ omnino fidem habendam esse mihi persuasum est. Neque enim ex Isidoro Pelusiotam sumpsisse eos quae tradunt apertum est, cum praeter Libanium Andragathium quendam nominent, a quo philosophiam didicerit Chrysostomus, de quo neque apud Isidorum quidquam

⁸⁷⁾ infra 18, 16 ss.

⁸⁸⁾ cf. Naegele, Chrysostomus und Libanius in *Χρυσοστομικά* I, Romae 1908, p. 81 ss.

⁸⁹⁾ Berliner Sitzungsberichte, Philos.-Hist. Classe XLIX 1912, p. 1123 ss.

⁹⁰⁾ II 640 ss (536 ss).

⁹¹⁾ III 605 (507 C).

⁹²⁾ Isidori ep. 1576 invenitur XIII 329 (248 A—C); Maas, p. 1125; cf. Naegele, p. 108.

⁹³⁾ cf. Schoo, Die Quellen des Kirchenhistorikers Sozomenus, Berlin 1911, p. 24.

invenitur neque ab aliis traditum est. Ac ne illud quidem ex Isidoro sumptum est, quod narrant Socrates et Sozomenus de Theodoro et Maximo, quibus cum una Libanio doctore uterentur Chrysostomus ex eius schola discedens persuasit, ut monachorum vitam amplecterentur.⁹⁴⁾ Seeck quidem omnino de la re non dubitat.⁹⁵⁾ Vide igitur ne nimis temere de hac re iudicaverit Maas.⁹⁶⁾ Hoc certe negare nequit artis rhetoricae leges Chrysostomum semper observavisse, ac quae de Gregoriis et Nyseno et Nazianzeno iam docuerunt viri docti,⁹⁷⁾ maximam partem de illo quoque valent. Cui rei testimonio sunt vel ea, quae supra de translationibus dixi; nunc de figuris proprie dictis pauca addam. Anaphora quam vocant saepissime occurrit. Ipso huius libri initio incipit ea figura: Ἀρά τις ἐποίησε . . . ; ἄρα ἐδεήθη;⁹⁸⁾ paulo infra invenitur τὴν πύραν τὴν ἀπὸ τῆς κενοδοξίας τεγθεῖσαν, τὴν τῷ σώματι λυμαινομένην, τὴν ἐν σώμα εἰς πολλὰ διαιροῦσαν μέλη;⁹⁹⁾ alia exempla afferre supervacaneum est. Non semel invenitur geminatio, velut οὐ τοῦτο λέγω, ὅτι γάμον ἀπάγαγε . . . οὐ τοῦτο λέγω;¹⁰⁰⁾ θρέψον ἡ ἀθλητὴν τῷ Χριστῷ paucis verbis interiectis iteratur;¹⁰¹⁾ οὐδὲν γὰρ οὕτως κατορθοῖ ὡς ζηλοτυπία, οὐδὲν οὕτως.¹⁰²⁾ Idem dicendum est de translatione: . . . καὶ πονηροῦ δαίμονος· δαίμων γὰρ . . .;¹⁰³⁾ . . . ἀλλ' ἀπὸ χερσού· χερσὴ γὰρ . . .;¹⁰⁴⁾ κατοφρονεῖν μαθήσεται, μαθὼν δὲ . . .¹⁰⁵⁾ Non omnia huius generis afferre volui, sed specimen dare sermonis Chrysostomi, qui ne in hoc quidem libro a ratione scribendi alienus est, quam fere sequitur. Hoc mihi quidem, cum plurima eius scripta diligenter legerem, in dies magis probabatur, quamquam non concedere non possum in eiusmodi argumentis aliquid incerti semper esse.

⁹⁴⁾ Socr. VI 3; Soz. VIII 2.

⁹⁵⁾ Seeck, Die Briefe des Libanius, Leipzig 1906, p. 309.

⁹⁶⁾ Haec cum scripsissem, vidi ipsum quoque Stählinium recusare, ne Maasio assentiatur cf. Christ's Geschichte d. griech. Lit. II, p. 1218 n. 1.

⁹⁷⁾ Meridier, L'influence de la seconde sophistique sur l'œuvre de Grég. de Nysse, Paris 1906; Guignet, S. Grégoire de Nazianze, orateur et épistolier, Paris 1911; Przychocki, De Gregorii Nazianzeni epistulis quaest. selectae, Cracoviae 1912.

⁹⁸⁾ infra p. 1, 1. ⁹⁹⁾ infra p. 1, 3 ss. ¹⁰⁰⁾ infra p. 8, 23 s.

¹⁰¹⁾ infra p. 8, 22 et 26. ¹⁰²⁾ infra p. 26, 4 s. ¹⁰³⁾ infra p. 1, 26 s.

¹⁰⁴⁾ infra p. 10, 36. ¹⁰⁵⁾ infra p. 12, 8.

VII. Deinceps, quos auctores secutus sit Chrysostomus, exquiram. Omnes enim sciunt inter Plutarchi scripta moralia librum quendam de educandis pueris inveniri. Hic quaerat quispiam, quae ratio illi intercedat cum Chrysostomo. Quod priusquam investigem, illud monere oportet ipsum quoque Basilium librum scripsisse, quo quam utilitatem ex scriptis poetarum legendis percipere possent adulescentes, ille doceret atque item Plutarchum quid de audiendis poetis sentiret exposuisse. Nec verò a Plutarcho mutuatum esse Basilium, quae de ea re profert, quamquam similitudo quaedam sententiarum apud eos non semel deprehenderetur, suspicatur Carolus Weyman.¹⁰⁶⁾ Similitudinem autem illam ex eo natam esse, quod et Plutarchus Chrysippum secutus sit et Basilius cynici stoicive cuiusdam libro usus. Hoc enim docuit nuper G. Büttner¹⁰⁷⁾ atque omnino idem dicit de eius libro Weyman loco quem modo attuli.¹⁰⁸⁾ Ceterum scripta Plutarchi Basilio nota fuisse neque hic negat et ab aliis demonstratum est, ex quibus unum afferre satis est. M. enim Pohlenz paucis ante annis de ea re scripsit¹⁰⁹⁾ ac propterea hoc quidem loco prae ceteris nominandus est, quia ipsum quoque Chrysostomum exscripsisse librum illum Plutarchi, qui *περὶ ἐκτελέας* inscribitur, docuisse sibi videtur.¹¹⁰⁾ Equidem vero ut de Basilio facile concedo, ita de Chrysostomo dubitaverim, atque hunc ne in hoc quidem libro Plutarchum secutum esse puto. Quod ut affirmem, ea re potissimum adducor, quod sententiarum quidem similitudinem illi libri habent, verborum vix ullam. Ac ne illae quidem ita singulares sunt, ut non suo uterque ingenio ea proferre potuerit, quamquam Plutarchum, sive qui illum librum scripsit, Chrysippum secutum esse non ignoro. Sed ut res melius cognoscatur, quae apud utrumque similia sunt, afferam ordinem secutus Plutarchi.¹¹¹⁾ Nutrices quam optimas esse eligendas dicit Plutarchus, ut ubi natus sit infans, mores eius conformentur; facil-

¹⁰⁶⁾ Histor. Jahrbuch XXX 1909, p. 292.

¹⁰⁷⁾ Büttner, Basileios des Großen Mahnworte an die Jugend, Progr. Ingolstadt, München 1908.

¹⁰⁸⁾ Hist. Jahrbuch, p. 290 ss.

¹⁰⁹⁾ Zeitschrift für wissensch. Theologie XLVIII 1, 1904, p. 72 ss.

¹¹⁰⁾ ib. p. 92 ss.

¹¹¹⁾ Plut., Moralia I 1 ss (Bernard.), Leipzig 1908.

lime enim pueritiam conformari posse atque animos etiamtum molles facile imbuere disciplina, sicut in cera imprimantur sigilla; quidquid autem sit durum, aegre moliri.¹¹²⁾ Atque de nutricibus tacet Chrysostomus, in reliquis autem verbis habes maximam omnino similitudinem omnium, quae apud utrumque explicantur. Nam item Chrysostomus a prima pueritia initium faciendum esse docet educandi ipse quoque cerae comparatione usus, qua eadem utitur in III. hom. in Joh., quae ne a Basilio quidem aliena est. Quod autem hoc uno loco verba etiam utriusque scriptoris conveniunt, Plutarchi verba ob oculos ponam, ut melius cum Chrysostomi comparari possint ac praeterea locum illum hom. modo allatae atque etiam Basilii verba addam. Iam videbis vix affirmari posse fieri non potuisse quin ex Plutarchi libro uterque eam comparationem sumeret. . . . ἐξ ἀρχῆς τὰ τῶν τέκνων ἴθι ὁυθμιζέιν προσήκει. εὐπλάστον γὰρ καὶ ὑγρὸν ἢ νεότης, καὶ ταῖς τούτων ψυχαῖς ἀπαλαῖς ἔτι τὰ μαθήματα ἐντίθεται· πᾶν δὲ τὸ σκληρὸν χαλεπῶς μαλαττεται. καθάπερ γὰρ σφραγίδες τοῖς ἀπαλοῖς ἐναπομάττονται κηροῖς, οὕτως αἱ μαθήσεις ταῖς τῶν ἔτι παιδίων ψυχαῖς ἐναποτιννοῦνται.¹¹³⁾ Ἀπαλὴ γὰρ οὖσα (ἡ τῶν παιδίων ἡλικία), ταχέως ἐναποτίθεται τὰ λεγόμενα, καθάπερ τινὸς σφραγίδος τῆς ἀκροάσεως ἐν κηρῷ τῇ διανοίᾳ τῇ τούτων ἐντυπνουμένης.¹¹⁴⁾ Εὐπλάστον οὖν ἔτι οὖσαν καὶ ἀπαλὴν τὴν ψυχὴν καὶ ὡς κηρὸν εὐεικτον, ταῖς τῶν ἐπιβαλλομένων μορφαῖς ῥαδίως ἐκτυπνουμένην, πρὸς πᾶσαν ἀγαθῶν ἀσκήσιν εὐθὺς καὶ ἐξ ἀρχῆς ἐνάγεσθαι χρή.¹¹⁵⁾ Atque ut una habeas omnia, etiam huius libri locum afferam: Ἄν εἰς ἀπαλὴν οὖσαν ἔτι τὴν ψυχὴν ἐντυπωθῇ τὰ καλὰ διδάγματα, οὐδεὶς αὐτὰ ἐξελεῖν δυνήσεται, ὅταν σκληρὰ γένηται ὡς τύπος, ὥσπερ καὶ ὁ κηρός, ac paulo infra τὸ δὲ σκληρὸν ὥσπερ ἀπόλαβόν τινα διάθεσιν τὴν σκληρότητα οὐκ ἐνκόλως αὐτῆς ἐξίσταται.¹¹⁶⁾ Laudat praeterea Plutarchus Platonem, quippe qui non quamvis fabulam nutricibus esse coram pueris narrandam dicat,¹¹⁷⁾ quocum ita consentit Chrysostomus, ut quae sacris libris tradantur, iis esse animos puerorum fingendos potius quam Graecorum fabulis anilibus contendat.¹¹⁸⁾ Paedagogo optimo opus esse uter-

¹¹²⁾ p. 6, 22 ss. ¹¹³⁾ Plut. l. a. ¹¹⁴⁾ VIII 19 (17 A).

¹¹⁵⁾ Migne P. Gr. XXXI 956 A.

¹¹⁶⁾ infra p. 8, 28 ss. ¹¹⁷⁾ 7, 6 ss.

¹¹⁸⁾ infra p. 13, 23 ss; 14, 24 ss.

